Technopaegnion Poeticum ex Codice MS.

edidit **Hugo Slevogt.**

Specimen I.

Praemonitum. — Aliud a primo mihi proposueram programmatis scribendi munere oblato in lucem emittere. Ubi enim multis iam abhinc annis in hanc parvulam, sed literatissimam urbem lares et penates transtuli, grammaticos Graecos quoque in aedes meas duxi comites, iisque per singulos annos labentes perpetuo equidem navavi operam fidemque servavi; nec piget fateri me ad hunc usque diem ne post tantam quidem annorum intercapedinem hunc unquam studiorum tramitem noluisse deserere. Inprimis autem praeter alios Herodianum dilexi, cui studium dicare vel post Lentzianam industriam operae etiam pretium est, in eoque tractando habitavi cum ardore animi. Quo factum est, ut nonnullas inde plagulas iam dudum confectas haberem atque praeparatas, quas consilium erat data occasione vulgare. Tamen, ut fit, cum iam opus esset ultimam limam admovere ad illa schediasmata, quae diu iacuerant, variis per brumam et aestatem superiorem laboribus intercedentibus, plura inveni vel haec vel illa, quae mihi non iam satisfacerent. Accedit aliud. Est enim communis multorum sors in oppidulo delitescentium, ut expectatione saepius necessariis literarum praesidiis destituti sint. Atque fit profecto, ut in angustias subinde adducaris, cum in parvula civitate plura sint quam alibi, quae frustra quaeras. Quam ob rem, ne moras necterem, consilium converti et aliud ex mea officina depromere volui atque, quod mihi horis subsicivis oblectamentum fuerat animi, non solus mecum tacitusque perfrui, sed cum aliis etiam communicare animum induxi, non quo viros doctos novis rebus mirum quantum perdoceam, sed ut unum alterumve iucunda commemoratione pauxillum delectem.

Est enim in manibus meis Codex manuscriptus, in quo perscrutando diu versatus sum. Inventus est, ut in fronte libri legimus, anno 1805 in villa Doelitiana prope Lipsiam sita in bibliotheca Liberi Baronis de Schwendendorf, inventus a genero, qui ipse literis mandavit. Habebat deinde atque ut pretiosum thesaurum adservabat Carolus Schaedel, gymnasii quondam, quod Ilfeldae floret, illustre decus. Est idem ille, qui flere iacturam patriae cum nollet desinere, in novo rerum publicarum statu male dicto audiens ob pravam contumaciam munere iuxta cum aliis remotus est et scholae tergum dedit. Post obitum viri Liber MS. transiit in manus Ernesti Bachofii Bremensis, affinis mei suavissimi, qui quidem illum mihi amice concessit.

Liber meus nitidissimis apicibus literarum conscriptus complectitur duas longas commentationes, quarum posterior inscripta est: „De Antiquitatibus Romanis Libri Decem Autore BC. Patre Nicolao Cosma E Societate Jesu Olomutii Eloquentiae Professore Anno Domini MDLXXXXIV“. Prior autem commentatio titulo orbata, nulla addita notatione auctoris, confecta est anno 1584 aut 1585, ut ipse ex variis commentationis locis et significationibus collegi, quandoquidem „Artificium Eteostichon“ aenigmatice haec habet verba: „Enuclea quoque Lector, quo anno autor collegerit hoc opus Technopaegnii poëtici:

HaeC qVICVnqVe LegIs, rogo, taLIa Vota preCare
CLIngerIo Donet regna SVperna DeVs“.

En habes et titulum et annum. Est „Ars Poetica“ per XCV folia continuata (Praefatio, quod dolemus, lacuna unius folii inquinata est), quam auctor Ausonium secutus „Technopaegnion“ nuncupavit. Sapientiam vero auctoris et doctrinam non prorsus suam esse, sed ex superioris aetatis praeceptis redundasse atque ad Humanistarum fontes referendam esse haud ex vano autumamus, sed ar-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gumentis satis firmis facile evincitur. Namque, ut moris est illa aetate, etiam nostri operis auctor permulta undique, quaecunque ei placebant, sibi delibavit et in suum usum convertit. Itaque mirum non est didicisse eum a Scaligero (qui quidem omnibus posthabitis in eodem semper numero habendus est atque post eum M. Opitzius), praeterea autem in deliciis habuisse Ausonium, cuius et insignem artem et artificia nosmet ipsi admiramur. Quamobrem nobis gratulari debemus, quod, postquam poeta ille diu neglectus iacuit, Rudolfus Peiperus demum nova nos et egregia editione beavit.

De ratione illius aetatis artem poeticam tractandi copiosius disputanti hic locus non est. Commemorasse sufficiat criticos, qui studiose eo tempore poetas tractare solebant, neque naturae singulorum generum artis investigandae pares fuisse neque poetarum ipsorum ingenio. Immo in forma semper haeserunt et formam solam persecuti sunt illustrantes, ita ut, quot in illis essent orationis lumina, quot ornamenta, quot artificia, tot industriae, laboris atque imitationis relinqui sibi stimulos sentirent et ad externam quasi ac formalem normam suas quidem artis leges modosque dirigerent. Quo factum est, ut magis magisque bellam et nobilem formae simplicitatem plane desererent in contortiplicatis carminum figuris et difficili structura unice laudis palmam sectantes. Quanquam in his lusibus exemplum habuerunt Hrabanum Maurum sicut postea imitatores earum nugarum, in quibus est famosus ille „Parnasi Bicipitis“ conditor.

Unum tamen in illis laudandum. Collegerunt multa! Nimirum ergo etiam meus codex lepidissimis scatet carminibus. Quorum, quo salivam moveam legentibus, nihil veritus, ne illis novitatis gratiam praeripiam, duo hoc loco exempla mihi temperare non possum, quin communicem.

Alterum est „apologeticum“:

Solymannus Turcarum Imperator Pontifici Romano (incerto auctore) mittit haec:

Fata monent, stellaeque docent aviumque volatus:
Totius ut subitus malleus orbis ero.
Roma diu titubans variis erroribus acta
Corruet et mundi desinet esse caput.

Responsio Summi Pontificis:

Fata silent, stellaeque tacent, nil praedicat ales,
Solius est proprium scire futura Dei.
Niteris incassum navem submergere Petri.
Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Idem Solymannus Imperatori Carolo V (incerto auctore) hoc misit epigramma:

Rex nemo est vasto qui me sit maior in orbe,
Quem metuunt reges, oppida, regna, duces.
Iam fortes Hunnos assuetos vincere vici,
Porrexit tremulas iam mihi Buda manus.
Sensere Ausonii, sensit Germania fortis,
Iam sensit vires pulchra Vienna meas.
Nunc superest ferro tecum certare cruento
Carole, te victo Rex ego solus ero.
Quodsi me vinces, maior diceris Achille,
Maior Alexandro, maior et Annibale.

Carolus V respondit:

Rex nemo est vasto qui te sit peior in orbe,
Quem temnunt reges, oppida, regna, duces.
Iam potes ipse alios assuetus vincere vinci!
Porrige tu tremulas iam mihi Turca manus!
Tempsere Ausonii, tempsit Germania fortis,
Iam tempsit vires pulchra Vienna tuas.
Nunc superest tecum ferro certare cruento,
Impie! te victo rex Deus unus erit.
Sique Deum vinces, maior tu Herode profecto,
Antiocho maior, Daemone maior eris!

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Alterum est „Naenia“ (Pontani, ni fallor), qua nutrix invitat somnum infantulo:

Somne veni! tibi Luciolus blanditur ocellis,
Somne veni, venias! blandule somne veni!
Luciolus tibi dulce canit, somne, optime somne!
Somnule dulciole, blandule somnicule!
Ad cunas te Luciolus vocat, eia age somne,
Somne veni ad cunas, huc age somne veni!
Ad cubitum te Luciolus vocat, eia age somne,
Eia age somne veni! blandule somne veni!
Luciolus te ad pulvinar vocat, instat ocellis,
Somne veni, venias! eia age somne veni!
Luciolus te ad complexum vocat, innuit ipse,
Innuit, en venias, en modo somne veni!
Venisti bone somne, boni pater alme soporis,
Qui curas hominum corporaque aegra levas.

Quid potest cogitari suavius? quid dulcius? Unum apud nos est, cui et ad blandos modos et ab orationis dulcedine possit comparari, cantiunculam dico illam a C. Maria Webero modis musicis adstrictam: Schlaf, Herzenssöhnchen, mein Liebling bist Du, Schliefse die blauen Guckäugelein zu! etc. Eandem miram puerilis aetatis simplicitatem prae se fert Graecorum cantilena popularis hodie etiam per Graeciam pervagata: *Ἤλθ' ἦλθε χελιδών, καλὰς ὥρας ἄγουσα* etc.

Poetam non esse pictorem i. e. non decere poetam depingere res larga et copiosa singularum deinceps partium descriptione iam Lessingi egregia illa commentatione edocti sumus. Magni semper et veri poetae et fuit et est depingere aliquid ita, quasi res agatur, vel ita, ut rem ostendat sese moventem, secundo ita ut effectum rei cuiusdam ante oculos ponat, tertio per epitheta (*λευκώλενος*), postremo imitando. Imitatur vero poeta rerum sive motum sive sonos aut numeris aut vocum consonantia (Rhythm. & Tonmalerei). Magnus in hoc ultimo praesertim artificio patet poetis campus. Atque profecto apud omnes gentes omnium temporum illustrissima nobis redundant exempla. Cum enim in leporibus sermonis poetici existimandis eadem fere hominum stomachi natura sit, idemque sit ingenium in eiusmodi rebus aut probandis aut fastidiendis, neque natura ipsa adeo effeta sit, nihil ut amplius denuo et rursus egregii id genus ferre possit, eandem semper artem poetarum eandemque artificiorum varietatem et nosmet admirabimur et suis revera exemplis praeclare ostendunt cum priscae aetatis ingenia tum nostrae.

Iam antiquissimis temporibus sciebant homines singula linguae elementa singularem sibi habere ac propriam vim et naturam, ab aliis diversam. Quam elementorum naturam poetae nunquam neglexerunt sed ea sibi semper magna cum sollertia usi sunt, cum alii tum maxime Vergilius Maro. Magnus enim est ille artifex et carminis conficiendi et artificiosae in numeris et sonis adhibendae venustatis admodum gnarus. Qua de causa auctor noster ex Vergilio, cuius famam per totum medium aevum unam celeberrimam fuisse in vulgus notum est, praecepta sua collegit et in compendium redacta „Artificium Vergilianum“ nuncupavit. Est nihil aliud nisi „characterologia“ i. e. „descriptio“ sive disputatio de singulorum elementorum vi ac natura in sermone poetico observata. Quod quidem artificium Vergilianum nos ipsi primum elegimus et speciminis loco cum aliis communicari voluimus. In quo nonnulla sane futilia, alia vero gravioris momenti sunt. Atque ut sunt, quae hodie irrideamus, ita sunt alia, quae etiamnunc arrideant. Quanquam si quis est, cui displiceant illa, nolito, quaeso, oblivisci non me esse loquentem sed loqui alium.

In Technopaegnion poeticum praefatio.

Cognitum est omnes artes rudiores primum tractatu deinde tempore politiores effectas fuisse, quemadmodum in omnibus artibus cum liberalibus tum mechanicis comperimus. Nec mirum. Nullus enim artifex aemulo caruit; quippe eo usque pervenitur, ut homines rei universae opificem Deum in suis quibusdam operibus effingendis imitentur in eoque imitando omnem industriam collocent, atque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

si non aemulari possunt, propius tamen ad res divinas accedere conantur. Quid enim non pictores, sculptores, caelatores suae arti addiderunt, ut populo placerent? Quasi nihil venustatis et gratiae habiturum sit illud, quod non Apellaeum et Daedaleum quid prae se ferat, quo fit, ut lineamenta, lucem, umbrarum recessus exprimant tanto artificio, ut non a natura didicisse, sed cum ea certasse, aut potius illi leges dare posse videantur. Sic cum sacra poesis sit ars, non defuerunt in illa Musarum aemuli. Unusquisque enim poetarum, se de Iovis cerebro aut lacte mellisve medulla aliquid libasse demonstrare voluit, unde se (quemadmodum pavi inter alias aves) ostentaret. Quo factum est, ut poetae limitibus suis se non continuerint. Poesis enim (ut loquitur Iulius Caesar Scaliger) est imitatio naturae, natura vero ipsa raro simplicia commentatur. Hinc factum est, ut vates diversa Technopaegnia et diversa artificiorum genera excogitaverint nobisque imitanda reliquerint. Idcirco liceat mihi cum Aristophane exclamare: Quid est, quod non manibus effici queat? Nihil enim est rerum omnium, quod arte necnon ingenii industria non perficiatur. Nos igitur ex multiplici artificiorum arte quasdam artes poeticas proponemus et operam dabimus, ut intelligenter et sapienter Castalidum ianuas percurramus, quamvis fortassis a quibusdam ille labor vili pendi possit, sed non nisi ab huius artis ignaris vel aemulis severisque Aristarchis. Asinus enim stramenta mavult quam aurum. Sed condolendum est communi hominum vitio. Quicquid enim ipsi vel stupiditate vel negligentia consequi nequeunt, contemnere quam laudare malunt, sed nihili facienda sunt huiusmodi verborum vana iacula. Maior enim hinc divinae poeseos clarescit gloria, quae nisi difficilem se praeberet, artis nomine indigna esset. Rem enim facilem, quae a pueris effici potest, non artem statim appellamus, proinde perpetuum splendeat poeseos maiestas. Haec autem sunt artificiorum nomina, quae in primo vestibuli ingressu omnium obtutu perlustranda, deinceps vero tractanda praefigere voluimus.

Vergiliannm, Lucullianum, Gryphi, Sotadea, Diaulonianum, Stichodilecticum, Metatheticum, Philomelicum, Pyrrhichicum, Parallelon, Commaticum, Monosyllabum, Thiopoema, Euryphallicum, Epomonoeon, Paromoeon, Syncriticum, Apologeticum, Symplecticum, Echo, Musicum, Leoninum, Centones, Harmoniacum, Parodia, Centaurinum, Metamorphosianum, Proteus, Isogrammadistichon, Acrostichon, Cephalonomaticum, Silonianum, Iaponicum, Pangrammata, Hieroglyphicum, Epizographianum, Emblema, Symbolum, Elogium, Epigramma, Anagramma, Distichon, Apophoreta, Eteostichon, Monostichon, Senecianum, Aenigma, Logogryphi, Paroemiacum, Cascum, Germanicum, Macharonicum, Eponymicum, Heroinum, Pandomiphonon, Macrocolon, Brachycolon, Anaphoricum, Epanadoticum, Climaticum, Antitheticum, Epanastrophicum.....

Lacuna unius folii

tatis vel novitatis id omne tenuerit, addo his parem Graecae Latinaeque literaturae linguaeque peritiam. Denique qui poeta, quicquid eruditionis unquam ab autoribus egregiis repertum aut traditum fuerit, in universum absolute perceptum cognitumque habuerit ac meminerit, talis, inquam, ipse mirabilia artificia effinget. Istis adiungo, si Scaligeri lector et discipulus fuerit, si inventione non laboraverit, multa legerit, audiverit aut viderit, in hoc poetico exercitio recondito magnum progressum faciet. Quodsi minus aliquis ad illa pervenerit, tantum laboris impendere tentet, donec ad auream studiorum suorum coronidem usque accesserit. His accedit: Si poeta temperatae melancholiae fuerit aureamque mediocritatem in omnibus rebus secundum Horatium observaverit, nec nimium tristabitur, aut laetabitur, constantiam servaverit, pusillanimitatem reiecerit, aptior ad has speculationes poeticas iudicabitur. Nec enim postea difficultatibus praesentibus desperabit facile aut opus inceptum imperfectum relinquet. Quod vero de melancholia dixerim, illud Hieronymus Wolffius in suis commentariis de officiis Ciceronis confirmat. Cur sit divina, inquit, poesis constat; divino enim quodam afflatu genita Musarum et Apollinis donum esse censetur, quibus propria sit *δύναμις φυσική* condendi poematis etc. etc.

Sed ut quid velit Technopaegnion inscriptio nempe huius operis declaremus, notandum est compositam esse dictionem *ἀπὸ τῆς τέχνης* i. e. arte et *παιγνίον* quasi lusu, ut sit veluti ludicrum artis vel artificium ludicrum vel lusus artificiosus, quod ab Ausonio trahere originem videtur, qui quosdam versus, ut suo loco videbimus (quos Monosyllabos vocat), Technopaegnion inscribit (?). Quod si non omnia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

more Nicostrati perficientur, candidus lector boni consulat. Munerum enim animus optimus est, nihil igitur, quod donatur, recusandum aut spernendum est. Haec in Prolegomenis, iam ad Artificia.

Artificium primum Vergilianum.

Subsistere faciat prima fronte fortassis inscriptio legentes, nec immerito. Ratio autem dari potest. Nam quodcunque a praeclaro artifice formatum esse percipimus monet, ne celeri gressu praetereamus, sed iterum atque iterum maiore diligentia perlustremus. Atque utinam totos in se raperet poetas Vergiliana artificiosa poesis, quae quanto reliquis praestantior tanto et angustior est minimis quibusque in divino opere consideratis! Quid autem minus, quid humilius, quid abiectius ipsis literis? ipsis, inquam, primis elementis? attamen tanta prudentia tantoque ingenio in tam parva re est usus, ut omnibus luce clarius elucescat, et res parva maius miraculum parturit. Huic ego artificio Vergiliano iustas ob causas primum locum tribui, ut sit tanquam fundamentum et clavis caeterorum. Erit autem hoc. De artificioso elementorum sive literarum usu in quibuscunque artificiosis poematibus observandum est, namque literarum magnam habuerunt curam veteres poetae, ut nisi id ipsum Vergilius observasset, reprehendendus omnino esset. Cicero servavit literarum naturas, alioquin nullus orator dicendus esset. Quodsi haec ab oratoribus servantur, quanto magis a poetis, quibus est maior ornamenti quaerendi cuiuscunque generis cura, observari oportere est existimandum? Cicero in Verrem Lib. IV haec habet verba: *Propter est spelunca quaedam, conversa ad Aquilonem, infinita altitudine.* Nonne vides quantum hiet haec oratio ob concursum vocalium quamque magnum nescio quid prae se ferat ob assiduitatem literae A? Ita quidem est, ut et apta materiae verba existant, cum de spelunca agat et de infinita. Itaque percurram per omnia elementa incipiens ab ipso A, in quibus quidem id inprimis animadvertendum est Vergilium quandoque unum elementum in uno tantum versu tam saepe inculcare, ut aliorum sonum prorsus obscuret neque quidquam praeter illud unum sic repetitum esse in eo versu videatur, quandoque omnes literas ita disseminare, ut maxima in paucis verbis varietas appareat.

De litera A. Quibus rebus sit apta.

A saepius geminatum ostendit apertionem omnem, id est oracula et morientium vultus et vulnus hiulcum et voraginem, praecipue vero inferorum, itidem speluncas, noctem, planities omnes sive campos et fortasse etiam alia quaedam his similia. Fames quoque inexplebilis hac litera nonnunquam notatur, ut cum de avaritia Pygmalionis fit mentio. Nam quid aliud est pecuniae cupiditas nisi inexpleblilis quaedam sitis insatiabilisque fames, quin etiam voraginis imago quaedam? Propterea credendum est A ipsum Vergilium inculcasse eo in versu „Impius ante aras atque auri caecus amore Clam ferro incautum superat“ etc. Ubi trium syllabarum elisione atque, ut ita dixerim, absorptu eandem rem adiuvat et aptius ob oculos ponit. Quod vero paulo post subdidit, nonne id quod de vulnere et apertione diximus confirmat? „Crudeles aras traiectaque pectora ferro Nudavit.“ In hoc vero versu „Vela damus vastumque cava trabe currimus aequor“ quid aliud quam amplissimum maris campum et apertissimum vides? Sed ut effigiem Furiae repraesentaret, quam voraci hiatu semper descripsit, dixit „Furiarum maxima iuxta Accubat“.

A et I alternatione mirum Maronis artificium in Hydra describenda.

A cum dico, os aperio, atque spiritus videtur liberum habere exitum. At cum I profero, os ipsum multo angustius fit, ita ut paene claudatur; igitur qui alternatim A et I replicaret, cogeretur os nunc claudere nunc aperire. Haec est mandentium imago quaedam. Qui ergo hunc versum Vergilii profert „Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra“ cogitur per vices aperire et claudere os, ita ut mandere videatur. Quamobrem voracitas famesque et feritas hydrae pulcherrime exprimitur. Nam si A solum affectasset, potuisset ad apertionem solam exprimendam dicere „quadraginta“, quia, ut aestimo, hoc monstrum a Marone ita effictum est, neque necesse erat quinquaginta magis quam quadraginta vel alium numerum dicere; verum „quinquaginta“ dixit non solum propter alternationem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I cum A, sed quia ex repetito elemento Q crassus ille spiritus, quam verisimile est ex tali monstro efflari, ostenditur. Nam Nigidius est auctor primos nominum repertores et impositores pronunciationem maxime spectasse, ut illis optimam facerent rerum imitationem. Ideoque cum dicimus EGO, contrahimus in nos ipsos oris musculos, ut sic non extra nos esse rem illam, quam nomen demonstrat, ostendamus. Contra vero cum dicimus TV, os ipsum diducimus, ut prominentia labiorum rem, quam intellegi volumus, extra nos esse significemus. Nam si solis singulis signis per os factis sine voce et articulo has ipsas res vellemus denotare, non aliis nutibus atque his uteremur. Cum igitur denotare apertionem aliquam cupimus, vocalem illam debemus seligere, quae aperto ore pronunciatur. Haec autem est A, si sine concursu et elisione fiat, sed multo magis, si concursus habeat frequentiores. Apertionem igitur poeta denotat nullo adhibito concursu, cum dixit „Laxat claustra Sinon" etc. „Laxant arva sinus" etc.

A vaticinantibus et canentibus aptum.

Quod ad vaticinium pertinet sive oraculum, hoc recte elemento exprimitur, quia, qui vaticinabatur, cum caneret, apertum os demonstrabat. Idcirco repetitur haec litera in illo versu „Sola mihi casus tales Cassandra canebat". Nec solum cum profertur oraculum, sed etiam cum expetitur, ut ex persona Heleni „Ipsa canat" etc. Ac forte nec illud relinquendum est ad cantum etiam pertinens „Arma virumque cano" etc. Nam et pictores ipsi cum canentium vel hominum vel avium gestus imitari volunt, aperto ore depingunt, ut quasi A literam proferant. Cuius rei non oblitus Maro dixit „Phyllida amo ante alias". Pastor enim canebat.

A morituris aptum.

Artificiose Vergilius hac litera usus est, cum animam e corpore exire gestientem depingere vellet, quia qui moritur, ore hiat aperto. Idcirco non solum hanc literam repetiit, sed versum et sententiam illa ipsa terminavit, dicens „Tuaque animam hanc effundere dextra" quam apertionem adiuvit etiam bis apposita literarum elisione.

A magnificis rebus aptum.

A magnificam et amplam facit orationem, si assiduum ponatur, eoque uti licebit in lusibus, ubi maxima et plurima voce opus est. Et mihi nunc occurrunt Ciceronis carmina ex Trachiniis Sophoclis conversa, ubi Hercules inducitur maximis questibus caelum implens et hanc literam collocat assiduam: „Haec dextra Lernam tetram mactavit" etc.

A et O cur repetantur in luctibus.

Vergilius iis, qui misere dolent et lugent, acutiorem vocem repetito I tradit, illis vero, qui cum clamore lugent, O potissimum admisto A tribuit. Cum enim quis ita luget, ut magno impetu atque conatu vocem intendat et multum aerem propellat, fiet illa luctus species, quae cum acutam et magnam vocem perficiat, optime repetito A et O repraesentabitur.

A litera immanitas monstri illustrata.

Molem aliquam magnam Vergilius magna ex parte per literam M ostendere solet, quandoque tamen per R, sed admiscet nonnunquam, ut „Horrendum stridens, flammisque armata Chimaera, Gorgones Harpyiaeque et forma tricorporis umbrae". Admixtus vero hic per S literam sonitus et stridor. Simile est illud „Portitor has horrendus aquas et flumina servat Terribili squalore Charon". In his quoque versibus: „Cerberus haec ingens latratu regna trifauci Personat adverso recubans immanis in antro". Agnosco in his repetitionem elementi A a poeta esse adhibitam, ut canis latratum exprimeret. Sunt et versus consonis literis referti et syllabas etiam complectuntur asperas atque hoc quidem, ut feritas bestiae et monstri palam fiat. S etiam inculcatur ob eandem rationem.

A repetitum imitatur amplum locum terrae; A litera amplitudo quaevis expressa.

Est A litera assidua et repetita, ut amplitudinem aquarum et fluminum, nonnunquam etiam terrae poeta significet; ut „Qua data porta ruunt et terras turbine perflant".

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De litera B.

B ad ventos imitandos aptum.

Cum in carmine admiscentur venti et tonitrus, admiscentur literae, quae has duas res repraesentare possunt, ut B, P. D, T. Atque profecto mirum in illis cognoscitur artificium, nam nemo illos audiat sine stupore et terrore. Sunt vero

Vix haec ediderat, cum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum et campi; ruit aethere toto
Turbidus imber aqua densisque nigerrrimus austris;
Implenturque super puppes; semiusta madescunt
Robora, restinctus donec vapor omnis et omnes
Quatuor amissis servatae a peste carinae.

Profecto vere hi Vergiliani dici possunt. Nec difficile est illos inter bis mille alterius poetae versus agnoscere, etiamsi eos nunquam audiveris.

B litera pauperrima.

Quia B litera inter alias literas pauperrima est atque in paucis admodum verbis admittitur, propterea ab ipso P adiuvari eam voluit Maro. Quis enim non animadvertat, cur maluerit Vergilius dicere „Nimborum in patriam" quam „ventorum". Praeterea „Nimborumque facis tempestatumque potentem".

B literae natura et vis.

Vergilius literae B vim considerasse videtur multis in locis, ubicunque sonum exprimere voluit, non quemvis sed illum praesertim, qui flatu aliquo fit et ictum habet quendam. Ex qua quidem re facile colligere possumus literam ipsam Vergilii temporibus asperiorem habuisse sonitum quam B apud Graecos.

B litera tumidi et magni soni est apud Romanos.

Recte factum a Vergilio existimamus, cum eam assiduam posuit in iis versibus, qui bombum vel sonitum aliquem vehementem et cum ictu quodam factum exprimere volunt. Huiusmodi autem est ille, qui afflatu aliquo fit, ut cum de ventis maximo impetu irrumpentibus agitur, vel de tubarum clangore. Nam et hic eandem literam complectitur. Eadem denique insumatur, cum tumidam inflatamque orationem constituere animus est. Primum hoc exemplum occurrit, ubi solum B est.

„Centum urbes habitant magnas uberrima regna." Ubi advertere licet literam A etiam geminare poetam, quia spatiosum et amplissimum locum describit. Quod quidem et illo loco observamus, quo dixit: „Terra antiqua potens armis atque ubere glebae." B etiam et P repetivit „Hinc populum late regem belloque superbum".

De litera C cuius naturae variae.

Si recte velimus huius elementi naturam excutere, inveniemus tam multiplicem esse, ut de eo certa quaedam praecepta assignari minime possint, ac propterea, ut varia est eius natura, ita ad varias poterit res imitandas assumi. Causa est pronunciatio. Non enim eandem in pronunciatione servat formam. Quin aliis multis elementis persimilis redditur, et ob hanc rationem non multa habemus de eo apud Vergilium exempla. Quia multis aliis literis persimilem habet sonum, putavit Vergilius illis se literis posse commodius exprimere id quod volebat nec curavit hanc accipiendam nisi ad illas adiuvandas. Exemplo solius C adhibiti difficultas rei peragendae explicatur, vel literae elemento C similes, ut G est aut Q, tarditatem et moram, deinde et frigiditatem rerum et tenacitatem, addo etiam strepitum depingunt, ut „Nec curant caeco contendere Marte" et „Iuvat ire ad Dorica castra Desertosque videre locos littusque relictum" et „Sic oculos, sic ille manus sic ora ferebat". Tenacitatem pulchre poeta in illo ostendit „Unco non alligat ancora morsu".

De litera D.

D et T literae quibus rebus aptae sint.

Primo hae literae in illis commode ponuntur, quae cum moventur, crepitant, quare in his perbelle admixtae sunt: „In segetem veluti cum flamma furentibus Austris Incidit, aut rapidus mon-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tano flumine torrens Sternit agros, sternit sata laeta boumque labores Praecipitesque trahit silvas: stupet inscius alto Accipiens sonitum saxi de vertice pastor".

Secundo. Ubicunque de igne loquitur, tametsi non ardeat, eadem litera est usus, ut „Ac primum silici scintillam excudit Achates Suscepitque ignem foliis atque arida circum Nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam". In his imitari etiam voluit, ut existimo, attritum silicis ad ferrum, nam sibilum aut nescio quem edit huius modi sonum, ut in illo: „Quaerit pars semina flammae Abstrusa in venis silicis".

Tertio. Maro solet D uti, cum durities et rigiditas quaedam repraesentanda fuit, ut illud de Charonte „sed cruda deo viridisque senectus" Et „Dardanidae duri".

Quarto. Atque ut ad conatum declarandum accedamus, in his pulchre exprimitur „Nascenti cui tres animas Feronia mater (Horrendum dictu!) dederat (terna arma movenda, Ter Leto sternendus erat)".

De litera E.

Quibus rebus et materiis sit apta.

E litera ad luctum cum timore exprimendum est apta, ut videmus ex verbis Sinonis „Heu quae me tellus, quae me aequora possunt Accipere"!...

Secundo. Inter cetera usus eius literae est, cum timentes simul et plorantes imitari mens est, hoc est, cum quis ita plorat, ut sibi malum aliquod imminens timeat, non autem ob amissas res doleat. Velut Aeneas cum mortis periculum in mari timebat in illa ingenti tempestate ab Aeolo ob Iunonis preces missa, nulla frequentior vocalis est quam E. Ait enim „O terque quaterque beati Queis ante ora patrum Troiae sub moenibus Contigit oppetere".

Tertio potest haec litera venire in illa carmina, quibus magnum aliquod timemus iis, quos non secus ac nos ipsos diligimus. Nam eadem ferme ratio est, ac propterea putandum est induci a Vergilio Polydori umbram Aeneae suadentem, ut quam primum hostilem terram relinquat. „Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum! Nam Polydorus ego" etc.

Quarto. Nolim tamen existimetis hanc literam solam perpetuo assumendam esse in mediocri hac forma luctuum, sed ex arte est, cum longa est lamentatio, ut nunc magnas nunc mediocres, nunc tenues literas replicaverit. Nam qui lugent, hasce varietates ostendere solent, ut nunc multum clament, nunc tenuissima, nunc mediocri voce utantur, quod quidem perbelle observatum a Vergilio videmus in illa matris Euryali lamentatione, ut „Hunc ego te, Euryale, adspicio? tune illa senectae Sera meae requies, potuisti linquere solam, Crudelis"?

Quinto. Interiectiones illae, quae admirationem vel indignationem vel dolorem explicant, habent E plerumque admixtum ut En, Ecce, Heus, Ohe, Papae, Heu, Eheu etc. Apte igitur hanc inculcavit frequentius quam omnes alias in illa Neptuni indignatione: „Tantane vos generis tenuit fiducia vestri? Iam caelum terramque meo sine numine, venti, Miscere et tantas audetis tollere moles?"

Sexto. Indignationem cum irrisione habet haec litera ut in illis Turni verbis ad Lycum fugientem: „Nostrasne evadere demens Sperasti te posse manus"?*)

Septimo. Ironiam quoque pulchre haec litera repraesentat ex persona Iunonis ad Venerem, ut „Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis Tuque puerque tuus magnum et venerabile numen".

Octavo. Vergilius quandoque cum precantes inducit, hoc elementum repetit assiduum, sed tum potissimum, cum expostulationem quandam preces continent, ut „Talesque effudit pectore questus". Et Venus ad Neptunum tutam exorans filio navigationem: „Iunonis gravis ira nec exsaturabile pectus Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnes".

*) Contrarium demonstrat clementiam animi illustrans illud Ciceronis „Cupio, Patres Conscr., me esse clementem".

Sed, lector benevole, ne terminos illos, quos et lex et usus commentationi pepigerunt, transilire videar, pedem nunc sistere coactus valere te iubeo. Pergetur post annum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf